

kem/3496(1-9)

553

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
METHODI PHYSAGOGAE
ADMINICVLIS.

Q V A M,
CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE
H A L E N S I S,
PRAESIDE
VIRO PERILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,

PHILIPPO FRIDERICO MECKEL,
MEDIC. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN.
REG. BORVSS. A CONSIL. INTIM.
INSTIT. CLINIC. CHIRVRG. DIRECTORE,

VT
GRADVM DOCTORIS MEDICINAE
LEGITIME CAPESSAT
DIE II. APRILIS MDCCC.
PVBLICE DEFENDET,

IOANNES GOTTHARD SCHROEDER,
SVERINO MEGAPOLITANVS.

HALAE,
FORMIS IO. CHRIST. HENDELII.



1541
HISTORIA
ANTIQUA
ET
CIVILIS

COLLEGIUM
SACRUM
ET
CIVILE

ANTONIUS
VON
WITTGENSTEIN

EGERTON
HANTIGO
PRINCIPI

1541

VIRO PERILLVSTRI AC CLARISSIMO,
DOMINO
IOANNI FRIDERICO
DE SCHROEDER,
COLLEGII QVOD RIGAE EST,
ASSESSORI GRAVISSIMO
DYNASTAE HEREDITARIO IN WILCKENHOFF,

PATRVS VSO,
PIE COLENDQ
HAS DILIGENTIAE SVAE PRIMITIAS
GRATO OB BENEFICIA IN SE COLLATA ANIMO

D. B. D.

A V C T O R
IOANNES GOTTHARD SCROEDER.



WILHELMUS DE CLARISSIMO
DOMINI
IACINTI FRIDERICO
ET SCHRODDBER

COTULIT QUITA MARY
SCHREIBERIN DER
HISTORIE DER HANDELN

PATEROSO
BIS COLANDO

THE DUBLIN LIBRARIES HAVE BEEN ACQUIRED BY

THE STATE LIBRARY OF IRELAND

PROVOST
THE HONORABLE SIR JAMES GOLDSMITH

D E

METHODI PHYSAGOGÆ ADMINICVLIS.

§.

i.

Physagogam dicimus methodum, quæ, ut spiritus ex inferiore parte facile transmitatur, neque novus iterum gignatur, efficit.

Malumus autem his vocibus vere latini ac veterum auctoritate firmatis uti, quam bárbara illa, carminativae methodi. Namque carminari dicebant medii aevi auctores, nimirum Arabum interpretes et Constantinus Africanus fere primus, carminari dicebant flatus, sicut lanae carminantur, quod spiritus illos in intestinis congestos crederent adeo tenaces esse, ut acribus calidisque remediis solvi ac dissipari debeant. Quum ita



itaque nullus ex antiquis auctor, ne ipse quidem Caelius Aurelianus, ea voce carminiorum remediorum utatur, exterminanda penitus erit e latino sermone.

Physagoga autem vocatur haec methodus ex imitatione *Aretaei*, qui *τὰ φύσεων αἰγυρά* saepius adducit.¹⁾

Ne ipsa quidem *flatuum* vox hoc sensu in purioris latinitatis auctoribus occurrit; spiritus eos ubique *Celsus* nuncupare solet.²⁾ Quum tamen nihilominus satis usitatum sit hoc vocabulum, promiscue utamur tum *spirituum* tum *flatuum* voce.

Sed mittamus haec grammatica, ad rem ipsam accessuri.

§. 2.

Cuique notum est, spiritus intra intestina in statu penitus naturali fere nunquam colligi, vigore saltem intestinorum statim expelli, si modo eorum ciborum non nimis magna fuerit copia ingesta, e quibus aér flatuum forma evolvi potest.

Eam veritatem ante hos decem annos speciosis satis experimentis evincere studuit

O C K E

1) Curat, acut, lib. I. c. I. p. 75. ed. BOERHAAV.

2) Lib. IV. c. 13. p. 176. etc. ed. TARG.

OCKELIUS, 3) etiamsi inficiari nequeat
paullo gravius iusto ac confidentius omnem
aëris praesentiam in intestinis negatam fuisse.
Hinc anonymous auctor in eum animadvertisit,
licet spirituum aut flatum formam is aér in
statu fano haudquaquam induat, adesse ta-
men debere ob nimiam eius copiam in va-
riis cibis. 4)

§. 3.

Inquiramus autem iam, qualis indolis
sint isti spiritus, qui in praetornaturali statu
intra intestina colligantur.

Omnis spiritus ut dignatur, requirit
praeter principium quoddam, quod basin
deinde spiritus constituit, materiem caloris,
cui nubitur illud, cuiusque ope expandi po-
test. In intestinis adest non parva calorici
sicc dicti copia: adsunt praeterea in chymo,
faecibus et humoribns intestinalibus bases
variae, e quibus spiritus, ope calorici evol-
vi potest. Insignis adest in omnibus cibis
copia carbonici, illius nimirum principii,
quod vere nos nutrit; adest oxygenes in
variis praesertim acidulis et fructibus ho-
raeis; adest hydrogenes in aqua, quam po-
tamus et in plurimis cibis; adest denique

azq-

3) GREN's Journ. der Phyx, B. II, S. 183, f.

4) Journ. der Erfind. St. L, S. 88.



azoticum in nitrofis variis et ammoniacis,
praesertim carnibus.

En itaque fontes, quos in extricando
spirituum ortu respicere oportet.

Quominus vero ex iis basibus ope caloris possint fatus ipsi in statu naturali gigni, impedit maxime perpetua efficacia ac vis intestinorum, quae cogit ac compellit continuo fatus, si qui geniti fuerint, cohibet etiam ita et chymum et alios intestinorum humores, ne evolvi molestique intestinis esse spiritus possint. Quoties autem labascit is vigor intestinorum ac deficit, aut quoties impeditur, ilico sequuntur eae bases ad infinitum chemicarum leges, a materie caloris expanduntur ac intestina moleste inflant. Inde manifesto elucet, propiorem flatuum genitorum caussam ubique in sufflaminata aut deficiente intestinalium vi ac efficacia esse quaerendam.

§. 4.

Sunt autem potissimum quatuor spirituum intestinalium species, si ad chemicam eorum indolem respexeris; *gas carbonicum puta, hydrogenes, oxydatum azoticum et hydrogenes sulfuricum.* Prius utrumque HELMONTIUS iamiam in intestinis adesse cognovit, 5) tertii et quarti praesentiam in sto-

5) STRENGELS Gesch. der Arztk. Th. IV. S. 362.

—

stomacho et intestinis aegrorum variorum
tum MITCHILLIUS tum BERTHOLETUS
nuperrime non coniectura solummodo conse-
quuti sunt, sed evicerunt etiam argumen-
tis non levibus.⁶⁾

a. Gas *carbonicum* e cibis fere omnibus et
potibus evolvi potest, dum vis stomachi
ac intestinorum deficit. Maxime tamen
elicitur e sic dictis flatulentis, acidulis,
fermentationi acidae seu vinolae subiectis.

Quum non insignem passa mutationem
eum spiritum effiant, in stomacho potius
quam in intestinis evolvitur, id quod HEL-
MONTIUS iam observavit et PRIESTLEY-
US⁷⁾ confirmavit. GRENII quoque expe-
rimentis constat, in recens mactatorum vi-
tulorum stomacho gas carbonicum potissi-
mum reperiri.⁸⁾ Cuius quidem origo in his
animalibus multo facilior est explicatu, si
ad praedominantis acidi acetici similis in
stomachis vitulorum consilium transtuleri-
mus.⁹⁾

Hinc

6) Iourn. der Erfind. St. XX. S. 27.

7) Versuche und Beob. über versch. Gattungen der
Luft, Th. III. S. 135.

8) Iourn. der Phys. B. II. S. 188.

9) CARMINATI über die Natur des Magensafts.
S. 79.



Hinc id gas carbonicum in stomacho collectum homines nonnunquam infestat, qui vel acidorum copiam ingurgitaverant, vel flatulentorum aut fermentantium usū peccarunt. Eructant illud, atque, si parca tantummodo eius quantitas per glottidem in arteriam tracheam irrumpat, illico suffocationis metu corripiuntur, quod respirationem ubique is spiritus offendat.

§. 5.

b. Gas *hydrogenes* s. inflammabile in intestinis variis constat experimentis, quae flatus accendi posse, ipsosque globos aërostaticos hoc aëre leviori posse impleri docent.

Evolvitur autem is spiritus ex humoribus potius intestinalibus, postquam carbonicum cum chylo secesserit. Tum remanent humores biliosi aut reliquiae ciborum, quibus suppressa aut deficiente intestinalium vi, evolvi hydrogenes specie aërisiformi omnino potest. Quo magis vero eius vis efficacia sufflaminatur aut labascit, eo facilius oritur maior spirituum eorum copia, quippe quum chymus et humores sibi ipsis commissi tanto promptius in fermentationem putridam transire valeant.

§. 6.



§. 6.

c. *Gas oxydatum azoticum* s. gas septi oxydatum tum demum evolvi ac colligi intra intestina videtur, quum putredo iamiam ad altiorem evecta est gradum: namque id azoticum e decomposito ammoniaco corporum putrescentium elicitor. 10)

Id spirituum genus saepius adesse in intestinis efficitur:

- a. E porraceo excrementorum ac humorum intestinalium colore: etenim prafino tingere colore aquam et humores aquosos solet gas illud.
- b. Ex atro sanguinis et bilis colore vomitu ejectorum, quum oxygenis aditum ad sanguinem is spiritus impedit, eaque ratione atrum producat colorem.
- c. Ex usu carnium cum acidis, frequenti ammoniacum elicitor, dum debiles sunt intestinorum vires: ammoniaco autem decomposito gas azoticum debet originem.
- d. Gas illud nullo peculiari odore praeditum est. Hinc eius praesentiam assumere licet, ubi pessimis casibus soet;

1) GRENS Chemie, Th. II. §. 2029.

■ ■ ■ ■ ■

torem nullum spiritus infra transmissi edunt. Id enim HALLAEUS in mephitude cloacarum nonnunquam observavit, nullo foetore peculiari insignitam esse, sed eum adipisci tum demum, quum per corpora hominum transierit.¹¹⁾

§. 7.

De eo spiritu animadvertisit MITCHILLIUS,¹²⁾ cum aëre atmosphaerico, vitali et nitrico nullam pati mutationem, virulentiam quoque in aëre nullo modo amittere, evolvi autem maxime e rebus vegetabilibus cum animalibus mixtis. Hinc in officinis cerdonum, saponum opificiis, et laniorum rarum esse eum aërem, cum ibi vegetabilia deficiant, e quibus elici possit. Analogon autem esse id gas hemioxydis metallorum, unde miram eius vim corroden tem et virulentam explicare possis. Corrodit enim saepius metalla, quod in peste videmus, ubi chirurgorum ferramenta a putridis ulcerum ichoribus ita arroduntur, quali acerrimus acor eos affecerit.

§. 8.

d. Denique experientia docuit *gas hydrogenes sulfuratum* in primis viis nonnunquam

11) SCHERF's Beyträge zum Archiv der med. Polizey.

B. II. S. 112.

12) Tourn. der Erfind. St. XX. S. II.

quam evolvi, dum p^{rae}primis, labefactata vi
stomachi et intestinorum, vegetabilia copiosa,
fermentantia aut ova vetera ingesta fuerunt.
Tum enim saepius flatus erumpunt hepaticum
foetorem spargentia, quae natro aut kali
adsumto ilico absorbentur. Namque KIRWA-
NUS primus observavit, cum his substantiis
gas illud hydrogenes sulfuratum connubium
inire, ¹³⁾ cui BERTHOLETUS addidit, hydro-
sulfur ex eo connubio prodire, quod acido
sulfurico et nitrico iterum destruatur. ¹⁴⁾

Quum BERTHOLETO auctore ¹⁵⁾ pro-
prietatibus polleat id gas fere omnibus, quas
in acidis observamus, egregie inde acerri-
mam eius vim explicare possumus, quam in
ventriculum exercet, unde etiam gastrodyn^a
et cardialgia exponi possunt, quibus eiusmo-
di homines laborant, qui flatus hydro-sulfuri-
cos edunt.

§. 9.

Hac praemissa chemica flatuum infor-
matione ad caussas propiores veniendum
est, ut methodus medendi rite iis superstrui
possit.

Vul-

¹³⁾ KIRWAN's verm. phys. chem. Schriften, Th. III.

S. 53. f.

¹⁴⁾ SCHERER'S Journ. der Chemie, B. I. St. 4.

S. 370. f. 386. f.

¹⁵⁾ Ib. p. 378.

Vulgatissima est observatio, flatus generari e sufflaminata aut deficiente intestinorum efficacia. Duplex itaque id caussarum propriorum genus considerandum est.

a. *Supprimuntur vires intestinorum*

a. Chymi, faecum aliorumque humorum crudorum insigni copia, cui protrudendae ac exterminandae partes non sunt vires. Hinc a nimia ingestorum copia, quae probe digeri nequeunt, oriuntur flatus: hinc alvum compressam ac obstructam fere semper comitantur. Quo itaque difficilius cibus concoquitur, quo diutius in stomacho moratur, eo promptius et copiosius flatus ex eo eliciuntur.

b. Sufflaminantur etiam vires intestinorum coartatione vel spastica vel organica, qua peristalticus motus impeditur ac regularis intestinorum efficacia in chymum et faeces cohibetur. Hinc exponendi sunt flatus copiosi in morbis spasticis, epilepsia,¹⁶⁾ hygrophobia,¹⁷⁾ hypochondriacis et hystericae affectibus.¹⁸⁾ Hinc vulgaris animadversio exponitur, frigus cuti subito

¹⁶⁾ ARET. causs. acut. lib. I. c. 5. p. 1.

¹⁷⁾ SPRENGEL'S Handb. der Pathol. Th. III. §. 573. S. 338. Zweyte Aufl.

¹⁸⁾ Ib. §. 609. S. 364.

bito admissum sequi plerumque flatuum generationem, maxime in hominibus tenerioribus. Etenim actio frigoris in cutem eas sere semper sequelas producit, quae ex cutaneorum spasimorum propagatione ad alias partes eponi possunt. Hinc denique mirum non esse potest, si animi affectus graviores, terror nimirum, spiritibus intra intestina colligendis occasionem praebent: siquidem affectus spasticis motibus potissimum nocere solent, quos subito saepius producunt.

Coarctantur autem intestina, praeter spasmos, etiam hernia aut organicis tumoribus. Quae quidem caussa in flatibus saepius recurrentibus ac e peculiari quodam loco prorumpentibus accusari potest. Qui enim hernia laborant aut scirrho intestinorum, flatibus sunt obnoxii, quoties vel levissimam admittunt caussam.

§. 10.

b. *Infirmantur autem vires intestinorum, dum habituales stimuli deficiunt: i. e. in longa inedia, in atonia ventriculi et intestinorum, quae diuturnos morbos sequitur, in statu illo, qui *nevayyār* sequitur.*

Atonia intestinorum et infirmitas acquiritur motibus voluntariis deficientibus. Hinc eruditii homines et opifices, qui sedendo inueni-

veribus suis funguntur, flatibus frequentissimis obnoxii sunt. PLATO merito tradit, priscam gentem mortalium, quae Graeciam inhabitaverit, nec flatibus, nec rheumatibus obnoxiam fuisse, quod motibus continuis et laboribus exercitorum intestina semper vigere potuerint. 19)

20) Infirmitas intestinorum potissimum etiam arthritidem comitatur, maxime eam, quae, citra activas versus articulos congestiones, interna viscera infestat. 20) Gauffa enim propter arthritidis iure quidem in debilitate intestinorum digestioni inservientium quaeritur.

Post graviores morbos, praesertim post sanguinis profluvia copiosa remanet saepius ea intestinorum debilitas ut continuo flatus generentur, unde observatio illa MORGAGNI de muliere, adsiduis vexata post sanguinis profusionem, flatibus, lucem accipit. 21) Hinc etiam tympanites et meteorismus ad exitiosos morbos acutos et diurnos accidentes exponi possunt.

§. II.

Perlustratis caussis, symptomata considerando sunt, a spiritibus intra intestina cole-

19) PLATO politic. lib. III. p. 311. ed. GRYN.

20) SPRENGEL l. c. §. 325. S. 195.

21) De sedib. et causs. morb. ep. XLVII. n. 8.

lectis oriunda. Ex his enim luculenter patet, quantopere necessaria sit nonnunquam eorum eliminatio, quamque insignem locum haec methodus physagoga in therapia occupet.

Symptomata illa cuique nota, velut anxietas, colici dolores, obstipatio, mala digestio, spasmī et consensu orti dolores ac congestiones aliarum partium adeo multiplicem saepius formam accipiunt, tantopere larvata, saepius incedunt, ut Protea veteris fabulae imitentur.

Exponuntur autem illa symptomata, tum ex irritante qualitate spirituum, tum ex elasticā eorum indole, qua intestina mirum quantum expandantur. Irritare gas carbonicum, oxygenes azoticum et hydrogenes sulfuricum, ecquis est qui dubitet? Ea irritatio eo gravior est, eoque magis parietes intestinalium irritabiles infestat, quo magis expanditur aér ope calorici principii, quoque magis huic expansioni infirmata intestina cedunt. Itaque insignia oriuntur incommoda tum ex hac irritatione, tum ex impedito motu peristaltico, quibus sublevandis medicus oportet omnem operam impendere.

§. 12.

Ad ipsam autem curationis rationem veniendum est, quae dupli modo institui

B pot-



poteſt. Vel enim ſpiritus ipoſos deſtruere che-
miciſ reagentibus ſtudent, vel cauſas pro-
piores tollunt, eoque mođo generatoſ flatuſ propellunt. Prima ratio immediate agere
ac direcťe, ſecunda indirecťe et mediate di-
citur.

A. *Methodus absorbens.*

Iamdiu uſu venit magnesia, maxime uſta, adverſuſ gaſtrodyniam ac flatuſ acidos intra ſtomachum collectos. Creditum enim eſt, acorem damnari ac coērceri hac terra poſſe. Nuper vero LEONHARDI Witteber-
gensis, alia ex cauſa magnesiā uſtam con-
tra flatuſ ſtomachi commendavit, quod nem-
pe gaſ carbonicum promiſſime attrahat, ſto-
machoque eripiāt ea terra. 22)

Verum enim vero quotidiana conſtat experientia, licet acidos humores in venticulo ſtabulanteſ terra illa neutroſ reddere qua-
doque poſſit, nequaquam tamen eam expe-
dire in eiusmodi caſibns, ubi a debili vaſo-
rum iſtode continuo acidi humores fecer-
nuntur. Tunc enim magis ad hanc infirmi-
tatem velut cauſam propiorem conſilium
eſt transferendum. Absorbtā quaſtitate car-
bonici ſpirituſ, ilico noyus paratur, neque
tan-

22) *De medicamentis ventris flatum absorbentibus.*
Witteb. 1784.

tanta ingeri potest magnesiae portio, ut nenti reddi ii spiritus possint.

Quodsi praeterea intra intestina ipsa gas carbonicum colligitur, nequaquam sufficiunt vel magnesia ultra, vel alia eiusmodi remedia, quippe quae mutationem quamdam semper in stomacho patiuntur, priusquam ad intestina descenderint.

Denique terra illa iusto maiore copia vorata digestionem impedire facile potest, quum adhaereat parietibus stomachi et intestinorum, ac secretionem liquoris gastrici impeditat.²³⁾ Hinc itaque, si HELMONTIO primo auctore, terrea quandoque prosunt in acore manifesto stomachi, ab externis maxime caulis prodeunte, dannosa tamen sunt, inutilia saltem, in debilitate ventriculi aut spasticis affectibus, quibus et acor et spiritus carbonici dignuntur. Quae a maioribus ipsius carminativa dicta fuerant, HELMONTIUS sprevit, quod archeo inimica sint, sed nullo modo evicit, terrea sua magis amica huic daemoni esse.

§. 13.

Gas hydrogenes intra intestina, maxime crassa, collectum, absorberi dicitur LEO-

B 2

ON-

23) TRALLS tertiorum medicamentorum examen rigoros. p. 25.



ONHARDIO maxime carbonibus, ob insig-
nem quam habent adsinitatem cum hydro-
gene. Egregie vero iam **IACOBUS** ani-
madvertit ²⁴⁾ vario modo mutari carbones in
stomacho, priusquam in intestina descen-
dunt, neque posse hydrogenes abforbere,
nisi aëris expertes fuerint. Quod quum fieri
nequeat, si modo vulgari exhibentur, super-
fluum esse eorum usum. Addo his, noxiū
etiam esse, quum tanta ingeri debeat pul-
veris huius copia, quanta insignis spirituum
continuo exhalatorum moles requirit: id
quod sine manifesta noxa fieri nequit.

Multo maius detrimentum manebit ex
aqua calcis imtempstivo usu aut spiritus
salis ammoniaci in flatibus iis, quos carbo-
nicos spiritus esse suspicaberis. Siquidem
maxime irritantia haec remedia insigniter
laedent stomachi et intestinorum parietes irri-
tabiles, easque producent, larga praepri-
mis manu ingesta, irritationes, ut vel in-
flammatio vel spastica et incurabilis secutura
sit constrictio intestinalium. Etiam si igitur
a LEONHARDIO ET KECKIO ²⁵⁾ commen-
data fuerint eiusmodi remedia, tantum ab-
est ut proficiant, ut potius summe noxia sint.

§. 14.

²⁴⁾ Diff. curationem flatuum exhibens, p. 24. (Hal.
1790.)

²⁵⁾ Abhandlungen aus der prakt. und gerichtl. Arz-
neywiss. S. 40.

§. 14.

Gas oxydatum azoticum creditur ab alcalinis quoque, a calce et terreis absorberi et destrui. Hinc et MITCHILLIUS²⁶⁾ et SAL-TENSTALLIUS²⁷⁾ ea remedia magnopere commendant erga quoscunque affectus a flatibus derivandos. Quin ipse MITCHILLIUS non erubescit, totam sanitatis rem verbo alcalinae indolis complecti atque acori adiudicare plerosque morbos, quibus genus humatum corripitur. Acidum autem illud credit azotico nuptum *gas* illud *septi* constituere, quod, tanquam miasma, et pestilentes et alios multos morbos producat.

En itaque restitutam chemiatriam prae-teriti saeculi, cuius commenta ipsis quidem verbis iterum in medicina proferuntur! Utinam autem damna ea ac summa detrimenta, quae attulit ea theoria, a nostris temporibus aliena essent! Nonne enim et SYLVIUS²⁸⁾ et BONTEKOEUS²⁹⁾ et qui hos exceperunt, ab acido plerosque morbos derivarunt? Nonne eo nomine terrorum et alcalinorum usum damnosum introduxerunt! O temporum nostrorum futilitatem et igno-

ran-

26) SCHERER'S Journ. der Chemie, Th. III. S. 125.

27) Annales de chimie, tom. XXII. p. 96.

28) SPRENGEL'S Gesch. der Arzneyk. Th. IV. S. 393.

29) Ib. p. 443.



rantium deridendam, quae, nondum edocta
priorum saeculorum experientia, in pristi-
nam iterum illabitur barbariem!

§. 15.

Gas hydrogenes sulfuratum acido sulfu-
rico et nitrico decomponitur.³⁰⁾ Hinc alienum non esse putaveris, si vel flores sulfu-
ris, vel nitrum pauxilla dosi ibi ingesseris,
ubi id spiritus genus adesse e hepatico
foetore flatum cognoveris. Attamen et hic
monenda sunt ea, quae iam ante observavi,
eiusmodi nimirum remedia pura nunquam
descendere ad locum eum posse, ubi spiri-
tus colliguntur, neque novorum spirituum
generationem impedire, quae tanto saepius
impetu fit, ut globum sere aërostaticum pos-
sis quandoque ea copia implere, quam aeger
vel uno nychthemero et eructat et per in-
feriorem partem transmittit. Hinc haudqua-
quam iis remediis flatum curandi sunt, quae
chemico modo spiritus absorbere possunt,
sed ad caussas potissimum propiores venien-
dum est, quibus sublatis ipso adfectus a flati-
bus orti silebunt.

§. 16.

Externa etiam suadentur remedias, qui-
bus flatum moles mechanico modo extrahi
possit. Machinam eo fine REICHIUS Erlan-
gen-

30) BERTHOLET I. c.

gensis commendavit, quae, syringi similis, ano indita, flatum copiam extrahere possit. Vulgarem quoque machinam, qua alvus eluitur, posse adhiberi idem perhibet, dummodo embolum lente retraxeris, si apicem syringis ano immiseris, extractae autem syringis embolum ita protruseris, ut aér exprimi possit 31). Simili modo THILENIUS in fluxu coeliaco syringis ope flatus expulit. 32)

Ea machina omnino in herniis incarceratis usurpari potest, ubi semel simulque flatus extrahendi sunt. Quodsi vero a suppressis aut infirmatis intestinalorum viribus spirituum copia gignitur, haec machina inutiliter applicabitur, quippe quae ad tempus tantummodo eos egerit flatus, qui intra crassorum intestinalium finem collecti sunt. Neque tamen aliquid proderit, ubi paullo altius flatus adfunt, constricto infra tubo intestinali.

B. Methodus organica.

§. 17.

Organico modo agere remedia ea arbitror, quae neque chemicas neque mechanicas vires exserunt, quae saltem e legibus physicis etiamnum explicari nequeunt, sed quae in vires solidarum partium agunt, easque in statum naturalem restituunt.

Quod.

31) Iourn. der Erfind. St. X. S. 96.

32) THILENIUS medic. Bermerk. S. 118.



Quodsi supra (§. 9.) monitum fuerit, flatus omnes a suppressis aut infirmatis intestinorum viribus organicis et vitalibus ortum ducere, cum ratione congruit ea curatio, quae vel suppressas vires a materie sufflamante liberat, vel infirmas eas ad maiorem et regularem cogit actionem.

a. Suppressis itaque intestinalium viribus causa supprimens est indaganda et removenda.

a. Sordium copia ingens si cognoscitur, iis remediis est educenda, quae leniter alvum moliuntur, admixtis iis, quae simul spasmos sedare et robore intestina possunt. Confert itaque tremor tartari cum flavedine corticis aurantiorum, cum floribus chamomillae: confert extractum rhei in aqua menthae piperitae solutum: expedit sal ipse Scdlizenis in infuso florum chamomillae solutus.

Maxime vero profundunt clysmata, quibus sordes in tubo intestinali fermentantes optimè et leniter egeruntur. Si vero alvus elici ob spasmos intestinum rectum constringentes nequit, commoda sunt olea clysmati admixta, quibus constrictae partes promptissime emolliri solent.



§. 18.

β. Herniae constrictio[n]e obviam est eundem. Fit id suetis et mechanicis et internis remediis.

γ. Spasmi eorumque caussae tolluntur.

Quum saepius frigus cuti admissum flatu producere soleat, extricata hac caussa studendum est ut cutis iterum molliatur, ac in pristinum functionis statum restituatur. Fit id optime parvis dosibus ipecacuanhae aut antimonialium cum opio iunctorum: spiritu Mindereri: infuso theiformi florum camomillae ac sambuci.

Quodsi vero spasmi soli in hysteris aliisque nervosis adfectibus flatu generarunt, in id impendenda est opera ut sedetur nimia irritabilitas, actionesque irregulares mitigentur. Fit id et balneis tepidis, et interno liquoris anodynii mineralis aut aliarum naphtharum usu, usu deinde valerianae et asae foetidae. Narcotica autem pura, aut opium in eo casu adhiberi idoneum non est, quum ea ventriculum et intestina infirmare soleant et alvum comprimere. Iungenda igitur sunt et alia sedantia roborantibus, ne infirmitas intestinorum consequatur.

§. 19.

§. 19.

b. Quodsi vero vires intestinorum in diuturno statu adeo labefactatae sunt, ut continuo novi spiritus intra intestina colligantur, prae aliis eligenda sunt remedia, quae vires fuscitare ac firmare valent.

Nonnunquam vero etiam irritantia ipsa, quae solas actiones magis intendunt, suadentur, quae omnino etiam profecerunt, dummodo vera adest laxitas et debilitas intestinorum, e. g. in arthriticis adfectibus, ubi flatus satis vulgares, imo pervicaces esse solent. Arbitror autem id melius fieri externis irritantibus quam internis.

Inter externa remedia stimulantia, quae contra flatus ab inertia diurna intestinorum ortos commendantur, laudem summam in Oriente acquisivit moxa, seu stupa e foliis teneris Artemisiae vulgaris, exsiccatis et deinde pistillo contusis parata. Ea in Iaponia et Chianae imperio adversus arthriticos fere omnes adfectus, praesertim vero contra colicos dolores et flatum copiam commendatur. ³³⁾ Quum autem misera theoria illius gentis omnes fere morbos a spiritibus aut ventis derivet, nimis inde vulgaris usus moxae oritur,

qui

³³⁾ HALLMANN de moxae usu in TRAVNBERG diff. botanic. vol. I. p. 170.



qui longe lateque per Iaponiam et Chinam
dominatur.

Alia etiam irritantia externa in nostris regionibus usurpantur, maxime cantharidum tinctura, ipsaque emplastra vesicatoria. Haec utilia in rhachialgia ad fatus arcendos BAKERUS invenit.³⁴⁾ Simili modo FORBESIUS in ileo flatulento, ubi omnia alia remedia incassum adhibita fuerant, emplastrum vesicatorium utiliter imposuit, quo facto statim dolores siluerunt.³⁵⁾

Vulgaris deinde usus est aquae frigidae in flatibus, qui herniam incarceratam comitantur. Post HEISTERUM et GOURSANUM fere omnes auctores illam commendant, ut spasmi in loco constricto tollantur et atonia intestinorum curetur.³⁶⁾

Cucurbitas ficas eodem fine veteres praedicare solebant. CAELIUS AURELIANUS easdem adversus colicos dolores cum flatibus continuis laudat.³⁷⁾ Sic ARETAEUS cucurbitas in ileo toti abdomini et ipsi dorso imponi cum fructu prohibet.³⁸⁾ Cur itaque

no

34) RICHTERS chirurg. Biblioth. B. IX. §. 438.

35) Medic. Commentar. von Edinb. B. IX. St. I. S. 82.

36) Mém. de l' acad. de chirurg. vol. V. p. 135.

37) Acut. lib. III. c. 17. p. 239.

38) Curat. acut. lib. II. c. 5. p. 106.





nostris temporibus deserta sit haec curatio,
nescio.

§. 20.

Quae proprie dicuntur carminativa, fere ea sunt, quae roborant intestina ac vires eorum augent. Hinc exhibentur potissimum, ubi vires intestinorum vere labefactatae sunt, neque adhibenda sunt, si spasmi vehementiores tubum intestinalem constringunt.

His accenseo

a. *Flores chamomillae*, egregium remedium, quod leniter roborat, absque stimulo valentiori, sedat simul, et regulares motus intestinorum producit. Inter alia physagoga fere primum locum meretur, cum hypochondriaci homines aut hystericae mulieres flatibus vexantur, cum colici dolores cum flatibus a frigore admisso oriuntur. „Antidotum, inquit BAGLIVIUS,³⁹⁾ „colicae est chamomilla, a quacunque „demum caussa oriatur.“ HAENIUS refert observationem felicissimae curationis, quam in ileo pertinacissimo solo infuso florium chamomillae, cui millefolium admistum fuerat, perfecit. ⁴⁰⁾ MELLINUS commendat mixtionem e floribus chamomillae et suminitatibus millefolii, aequali por-

39) Praxis med. lib. I. p. 100.

40) Heilungsmethode, B. I. S. 278.

portione, cum parva seminum foeniculi
quantitate in flatibus hystericis et colicis
doloribus. 41)

§. 21.

b. Summitates *millefolii* a FRIDERICO
HOFFMANNO in monographia maxime
praedicatur adversns colicos dolores et fla-
tulentos adfectus, praesertim qui cum hy-
pochondriasi aut hysteriasi coniunguntur. 42)
Potest autem exhiberi vel infusum aquo-
sum, vel extractum in aqua menthae pi-
peritae solutum, addita naphtha vitrioli
aut liquore anodyno minerali. De viro
quadragenario refert MELLINUS, qui con-
tinuis digestionis molestiis vexatus, iis tan-
dem liberatus fuerit, postquam quovis
mane pauca vascula infusi theiformis sum-
mitatum millefolii biberit. 43) Maxime
vero proficuum est id remedium, dum le-
niter eccoprotica simul usurpantur, ne or-
gasnum nimium producas ac congestiones.

§. 22.

c. *Ari radix* omnium consensu fortiter ir-
ritat et firmat stomachi et intestinorum vi-
res; calefacit simul ob resinosas partes,
quas continet. Hinc phlegmaticis homini-
bus,

41) Prakt. Mat. medic. S. 98.

42) Diff. de Millefolio in Opusc. med. p. 341.

43) l. e. p. 101.





bus, qui diuturnis flatibus et colicis doloribus vexantur, maxime confert. Sed necesse est, cum alvum lenientibus aut sedanibus illud remedium iungas, sicut *Medicus* cum cremore tartari et magnesia id miscuit.

d. *Calamus aromaticus* saccharo consecutus vulgari satis usu venit in digestionis vitiis et flatuum copiosa generatione, a debilitate intestinorum pendente. Et medici ipsi praedicare id remedium debent et suadere, si diurna adfuerit laxitas tanquam cauſa flatuum.

e. Simili plane vulgatissimo uſu invaluerunt semina *cari* s. cumini nostratis. Ea, velut diaetetica remedia, mire saepius profundunt, ubi medicamenta, ob fortiores stimulos, metuimus.

f. Semina *foeniculi* vel per se cibis aut potibus aut infusis theiformibus cum seminibus cari addita, vel in confectionibus aut ut elaeosaccharum adhibita aliisque admisita remediis egregie flatus proliquant, neque tamen iusto vehementius stimulare solent. His aegris, qui nimia irritabilitate laborant, elaeosaccharum foeniculi cum extracto chamomillae aut cremore tartari iunctum commodissime exhibetur.

g. Semina *anisi* a *Dioscoridis* inde temporibus adversus flatus laudantur: solamen intestinorum eadem appellare solebat **HELMONTIUS.** Admiscentur semina aliis pulveribus, vel etiam insulis theiformibus. Praeterea commode oleum destillatum saccharo exceptum exhibetur, quod quanta saepius et in inveteratis colicis flatulentis producat emolumenta, testatur **SWIETENIUS.**

S. 28.

h. *Phellandrii aquatici* semina et a veteribus et a recentioribus insigniter laudantur in flatulentis colicis doloribus. Praeprimis vero **LANGIUS** in malo hysterico et hypochondriaco efficaciter expellere flatus sursum et deorsum testatur. 44) Per Saxoniam inferiorem a plebe exhibentur tanquam domesticum remedium, pani btyro illito inspersum.

i. Grana *cardamomi* maioris et minoris (*Zingiber Meleguatta* et *Zingiber minus GÄRTNER.* 45)) et diaetetico sine saccharo condita et in tinctura rhei dulci aut cum aliis stomachicis mixta egregium usum praestant ad flatus pellendos et robur stomacho addendum.

k.

44) **LANGE** vom Wasserfenchel, S. 25. (S. Braunschw.
1771.)

45) De fructib. et semin. plant. vol. I. p. 34. f.

k. Oleum *Cayaput* f. *Melaleucae Leucaden-*
dri saccharo exceptum eximiam vim habet
 in spasmis sedandis et digestione firmando.
 Maxime itaque commendandum est in co-
 licis doloribus flatulentis, in spasticis ad-
 fectibus, qui flatus, tanquam caussam
 moventem agnoscunt, et in promovendo
 regulari humorum circuitu, cuius usus
 clarissimus testis est ACRELIUS. 46)

§. 24.

l. *Cortex aurantiorum* tum pulvere sum-
 tus, tum vino infusus iamdiu velut sum-
 mum adminiculum adversus colicos dolores
 cum flatibus iunctos praedicatus est. Fr.
 HOFFMANNUS et HEISTERUS summis
 laudibus id remedium extulerunt, cum
 stomachica sua et aromatica vi praeprimis
 agere videatur. Saccharo conditus cortex
 domestico usu vulgari invaluit.

m. *Mentham piperitam* ultimo loco no-
 mino, licet ultimam dignitatem haudqua-
 quam habeat. Praeiantissimum potius
 est remedium, herba cui aqua infunditur,
 in debilitate stomachi et iis molestiis, qui
 flatus comitantur. 47)

46) THUNBERG diss. botan. vol. I. p. 228.

47) KNIGGE diss. de mentha piperitide, 4. Erl. 1780.

THESES.



THESES.

I.

Laxantia in stadio exsiccationis variolarum
non tanquam mere evacuantia, sed velut irrita-
menta cutaneo substituta, prosumt.

II.

Febris sic dicta puerarum semper cum peri-
tonitide est coniuncta.

III.

Practica f. d. Anatomia diligenter et a tironi-
et a medico exerceri debet.

IV.

Utero aequa ac cordi, ventriculo, et vesicas
urinariae, musculosa est structura.

V.

Depressio cataractae nonnullis in casibus ex-
tractioni est praferenda.

VI.

Diagnosis hydrothoracis est dubia.


CHARTA

Propositi principis elector. et elector. et
electori regni Siciliæ et Sardinie et Corse et Bon
et Sicilia et Sardinia et Corse et Bon

Etiam inde regnum Siciliae et Sardinie et Bon

et Sicilia et Sardinia et Corse et Bon

18
A



KD18
PICA

THESES.

I. Regeneratio nervorum evicta est.

II. Materia animalis, quo rarius aggregetur, co-



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
METHODI PHYSAGOGAE
ADMINICVLIS.

QVAM,

CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE
HALENSIS,

PRAESENTE
VIRO PERILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,
PHILIPPO FRIDERICO MECKEL,

MEDIC. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN.

REG. BORVSS. A CONSIL. INTIM.

INSTIT. CLINIC. CHIRVRG. DIRECTORE,

VT

GRADVM DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME CAPESSAT

DIE II. APRILIS MDCCC.

PUBLICE DEFENDET,

IOANNES GOTTHARD SCHROEDER,
SVERINO MEGAPOLITANVS.

HALAE,

FORMIS IO. CHRIST. HENDELII.